

Privilegium Ecclesiis Parochialibus suarum Dioecesium? Supplicatur humillime EE. VV. ut dignetur pro spirituali regimine earundem Ecclesiarum praesens dubium resolvere. Et facta per me Infrascriptum Sac. Congregationis Indulgentiarum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatione in Audientia diei 18 Septembris 1776 Eadem Sanctitas Sua declaravit Cathedrales Ecclesias, quamvis sint etiam Parochiales, uno tantum gaudere Altari privilegiato, sed illo in perpetuum concessa a Benedicto XIII omnibus Cathedralibus, vel illo a Clemente XIII omnibus Parochialibus impertito, salvis tamen peculiaribus circumstantiis.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgent. die 18 Septembris 1776.

J. C. De Somalia S. C. I. Secret.

CCCLXVI.

NULLIUS DIOECESIS PROVINCIAE STRIGONIEN.

Ad humillimas et enixas preces Domini Danielis Samagi Archi-Abbatis Monasterii S. Martini in Sacro Monte Pannoniae nuncupat. Nullius Dioecesis Provinciae Strigoniensis Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VI benigne inclinatus eidem Danieli ejusque successoribus, ac omnibus et singulis Abbatibus, Prioribus, coeterisque Monachis Sacerdotibus ipsimet, et pro tempore existenti Archi-Abbati subjectis, Numismata, seu Medallas, vel Cruces, aut Cruculas etc. (ut in Decreto sub numero CCXXVI).

Datum Romae die 18 Decembris 1776.

J. C. De Somalia Secret.

CCCLXVII.

ORDINIS SANCTISSIMAE TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM

Ad humillimas preces Fr. Emmanuelis Rovira Procuratoris Generalis Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VI benigne et ex speciali gratia indulset, ut omnes et singulae Missae quae a quocumque praedicti Ordinis Sacerdote pro anima Confratris Religiosi, quando viam universae carnis ingressus fuerit, in quo-

libet Altari cujuscumque Ecclesiae celebrabuntur eodem privilegio gaudeant, eidemque Defuncto perinde suffragentur, ac si ad Altare Privilegiatum celebratae fuissent. Voluitque Eadem Sanctitas Sua hanc gratiam pro universo Ordine perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgent. die 22 Januarii 1777.

J. C. De Somalia Secret.

CCCLXVIII.

URBIS

Beatissimo Padre

Il Superiore de' Padri di S. Girolamo della Carità di Roma espone come essendo privilegiato in perpetuo l'Altare che esiste nella Cappella superiore della loro pia Casa, quale fu abitazione per 33 anni del glorioso loro Fondatore S. Filippo Neri, qual privilegio si estende soltanto ai Religiosi esistenti in detta pia Casa; e desiderando il supplicante che in sì santo luogo vengano maggiormente suffragate le Anime del Purgatorio, supplica la S. V. a volersi benignamente degnare di ampliare il sopradetto privilegio a tutti quei Sacerdoti che per propria devozione celebreranno al suddetto Altare.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VI supradictum privilegium praefato Altari concessum benigne extendit. Valiturum pro omnibus et singulis Missis, quae a quocumque Sacerdote sive Saeculari sive Regulari in eodem Altari celebrabuntur. Quam gratiam voluit perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 1 Martii 1777.

J. C. De Somalia Secret.

CCCLXIX.

ORDINIS S. BIRGITTAE

Ad humillimas preces Fr. Matthaei Ludrvig Procuratoris Generalis Ordinis S. Birgittae Sanctissimus Dominus Noster

Pius PP. VI omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus confessis ac S. Communionem refectis, qui aliquam ex Ecclesiis etiam Monialium quorumcumque Conventuum dicti Ordinis tam hactenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis, ac ubicumque locorum existentibus diebus quibus commemoratio obitus S. Birgittae praedicti Ordinis Fundatricis, ac S. Catharinae ejus Filiae celebrari contingat, a primis vespere usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces fuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam ac remissionem misericorditer in Domino concessit. Voluitque Eadem Sanctitas Sua hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione perpetuis futuris temporibus fore valituram.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgent. die 15 Martii 1777.

J. C. De Somalia Secret.

CCCLXX.

Quamvis Sac. Congregatio Indulgentiarum, Sacrisque Reliquiis praeposita cui demandata est cura circa rectam et prudentem Indulgentiarum administrationem, usque ab anno 1676 interrogata quae essent Indulgentiae Stationum, plenariae ne, an partiales, dierum vel annorum decreverit, Indulgentias Stationales simpliciter enunciandas esse, non addendo plenariae illae sint an partiales; attamen cum eidem Sac. Congregationi postmodum innotuerit, nonnullos etiam Ecclesiasticos viros, atque Ecclesiarum Rectores allato Decreto minime acquiescentes, diversimode interpretatos fuisse Indulgentias Stationales, quarum Elenchi typis editis mire inter se discrepantes in vulgus prodierunt; cumque inde relatum fuerit, plurima originem duxisse inter fideles dissidia, abusus et scandala, hinc ut ista penitus amoveantur, utque Christifideles scire possint, quid sibi Indulgentiarum in hujusmodi Stationibus obeundis concessum sit; Sacra Eadem Congregatio habita in Palatio Quirinali die 7 Julii 1777 re,

praevio diligenti ac maturo examine, discussa, fuit in voto - Consulendum Sanctissimo, praevia revocatione aliarum Indulgentiarum, pro concessione Indulgentiae Plenariae in aliquibus festis solemnibus; Partiales vero in reliquis, ad normam earum, quae conceduntur in Cappellis Pontificiis, videlicet

In Quadragesima

In Feria IV Cinerum, et Dominica IV Indulgent. quindecim annorum totidemque quadragenarum.

Dominica Palmarum viginti quinque annorum totidemque quadragenarum.

Feria V in Coena Domini, Plenaria.

Feria VI in Parasceve et Sabbato Sancto triginta annorum totidemque quadragenarum.

In reliquis tam Dominicis, quam Feriis decem annorum totidemque quadragenarum.

In Paschate Resurrectionis D. N. J. C.

In Dominica Indulgentia Plenaria.

In duobus aliis festis diebus immediate sequentibus et per totam octavam usque ad Dominicam in Albis inclusive quotidie triginta annorum totidemque quadragenarum.

Die Ascensionis

Indulgentia Plenaria.

In Pentecoste

In Sabbato ante Dominicam decem annorum totidemque quadragenarum.

In Dominica et aliis infra octavam diebus usque ad Sabbatum inclusive quotidie Indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.

In Dominicis Adventus

In Dominica I, II et IV Indulgentia decem annorum totidemque quadragenarum.

In Dominica III quindecim annorum totidemque quadragenarum.

In Nativitate D. N. J. C.

In Vigilia, Nocte, ac Missa Aurorae Indulgentia quindecim annorum totidemque quadragenarum.

In die Indulgentia Plenaria.

In subsequentibus tribus diebus festis, et in Circumcisione ac Epiphania Domini, nec non in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae, et Quinquagesimae Indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.

In tribus feriis Quatuor Temporum, decem annorum totidemque quadragenarum.

In festo S. Marci Evang. ac tribus feriis Rogationum Indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.

Factaque de his omnibus per me Infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium relatione Sanctissimo Domino Nostro in Audientia diei 9 Julii 1777 Sanctitas Sua Ipsius Sacrae Congregationis Votum benigne approbavit, illudque cum novo Indulgentiarum Stationalium praeinserto Elencho publicari mandavit, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 9 Julii 1777.

L. CARD. CALINUS PRAEF.

J. C. De Somalia Secret.

CCCLXXI.

Quum Sac. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae nonnulli porrecti fuerint supplices libelli, in quibus continebantur preces ab aliquibus piis et religiosis viris exaratae vel in memoriam Passionis Christi Domini, vel in honorem Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti, vel ad implorandam B. V. Mariae et Sanctorum opem atque intercessionem, pro quibus precibus specialis aliqua dierum vel annorum Indulgentia postulabatur; eadem Sac. Congregatio habita in Palatio Quirinali die 7 Julii 1777, ut iisdem instantiis aliisque similibus in posterum faciendis consuleret, decrevit « *Preces in publico recitandae, pro quibus petitur Indulgentia exhibeantur prius Sac. Congregationi Rituum, quibus, si ita Ei visum fuerit, probatis, tunc ab hac Sac. Congregatione examinentur utrum expediat iisdem applicare aliquas Indulgentias* ». De quibus facta relatione San-

ctissimo Domino in Audientia habita per me Infrascriptum Secretarium die 9 ejusdem mensis et anni, Sanctitas Sua Votum Sac. Congregationis approbando confirmavit, illudque publicari mandavit, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex eadem Sac. Congregationis Indulgentiarum Secretaria die 9 Julii 1777.

L. CARD. CALINUS PRAEF.

J. C. De Somalia Secret.

CCCLXXII.

ORDINIS CLERICORUM REGULARIUM MINORUM

Quum, sicut a Reverendissimo P. Raphaelo Benenati Generali Ord. Clericorum Regularium Minorum humillime exponebatur in Ecclesiis sui Ordinis Sacrum et pium Exercitium cum Venerabilis Eucharistiae Sacramenti expositione singulis Feriis secundis totius anni in honorem S. Michaelis Archangeli ejusdem Ordinis Patroni peragi soleat, vel praevis facultatibus obtentis sit peragendum, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VI omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus confessis, ac S. Communionem refectis, qui in aliqua ex Ecclesiis hujusmodi ubique locorum existentibus, ac in posterum extituris praefato pio Exercitio devote interfuerint, ibique pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, a S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Indulgentiam Plenariam in una ex enunciatis feriis cujuslibet mensis uniuscujusque arbitrio eligenda, ac septem annorum, totidemque quadragenarum in singulis reliquis ejusdem feriis lucranda concessit. Insuper ad ejusdem Oratoris preces benigne inclinatus, universis pariter Christifidelibus, in qualibet ex supradictis Ecclesiis Sacro Novendiali Praeparationis ad festum Dedicationis praefati S. Archangeli corde saltem contrito ac devote interessentibus, et easdem Ecclesias in diebus pariter Dedicationis, nec non Apparitionis ejusdem Sancti ut supra dispositis visitantibus et orantibus, Indulgentiam Plenariam incipiendam a primis vespers usque ad occasum solis utriusque festivitatis; ac bis-

centum dierum semel in qualibet die supraenunciati S. Novendialis clementer est impertitus. Voluitque Sanctitas Sua has gratias in perpetuum absque ulla Brevis expeditione fore valituras.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 2 Maii 1778.

J. C. De Somalia Secret.

CCCLXXIII.

MONIALIUM URSULINARUM

Ad humillimas preces R. Matris Aloysiae a S. Josepho Assistentis Monasterii Ursularum Urbis, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VI benigne inclinatus Indulgentiam Plenariam a s. m. Clemente XIII concessam in omnibus Ecclesiis Monasteriorum seu Collegiorum Monialium Ursularum ubicumque locorum existentibus erectis, et in posterum erigendis pro die trigesimaprima mensis Maii, ut ex Decreto S. Congregationis Indulgentiarum die 10 mensis Januarii anno 1769 benigne transulit ad alium anni diem a Rubricis generalibus non impeditam, quatenus in aliquibus Dioecibus praefata dies trigesimaprima Maii impedita fuerit. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione, et servato quoad reliqua omnia tenore primae concessionis fore valituram. Datum Romae ex eadem Sac. Congregationis Indulgent. Secretaria die 20 Junii 1778.

J. C. De Somalia Secret.

CCCLXXIV.

SEBENIGEN.

Cum Antonius Makale Insulae Auri vulgo *de Zlarin* Dioecesis Sebenicen. in Dalmatia humillime exposuerit, quam plurimos utriusque sexus Christifideles ad Parochialem Ecclesiam Sanctae Mariae de Zlarin nuncupat. in Insula ac Dioecesi praedicta existente causa venerandi Sacram B. M. V. de Rosario Imaginem in Altare ejusdem Parochialis Ecclesiae sitam, et ipsius Oratoris, ejusque familiae sumptibus decenter ornatam magna cum devotione confluere; ibique ut cultus B. M. V. magis magisque

augeatur, eleemosinas ut in enunciato Altare Missae celebrentur, frequenter relinquere: Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VI attentis expositis et ejusdem Antonii Makale precibus benigne annuens clementer concessit praefatum Altare privilegiatum quotidianum; ita ut omnes et singulae Missae, quae a quocumque Sacerdote Saeculari vel Regulari pro animabus fidelium in Purgatorio detentis, in eodem Altare singulis anni diebus celebrantur, animae hujusmodi pro quibus celebratae fuerint, de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Plenariam Indulgentiam consequantur. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 21 Augusti 1779.

J. C. De Somalia Secret.

CCCLXXV.

Beatissimo Padre

Raffaele Maria Benenati de' Chierici Regolari Minori Preposito Generale bramando che nel suo Ordine non s' intiepidisse, ma vieppiù maggiormente si promovesse il distintivo suo pio esercizio della orazione che in giro alternativamente si pratica avanti il Santissimo Sacramento da' suoi Religiosi, supplica la Santità Vostra a degnarsi concedere l'Indulgenza Plenaria ad ogni Religioso che con le necessarie disposizioni e rigore di Regola si eserciterà in tal osservanza. Che della grazia etc.

Sanctissimus benigne annuens pro gratia omnibus, et singulis supradictis Religiosis, qui in respectivis Ecclesiis Ordinis ubicumque locorum existentibus pium praefatum exercitium juxta eorum Constitutiones devote peregerint, Indulgentiam Plenariam semel in mense lucranda die uniuscujusque arbitrio eligenda, dummodo vere poenitentes confessi ac S. Communionem refecti fuerint et juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pie oraverint, clementer impertitus est. In aliis vero anni diebus corde saltem contrito eisdem praemissa peragentibus Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum

benigne elargitus est. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam in perpetuum suffragri. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 22 Augusti 1779.

J. C. De Somalia Secret.

CCCLXXVI.

Beatissimae Pater

Fr. Erhardus a Radkerspurgo Minister Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum ad Pedes S. V. humiliter provolutus exponit, qualiter ipse a multis sui Ordinis Religiosis, continuo et instantissime rogetur pro concedenda licentia visitandi Loca Sancta Romae, Laureti, Montis-Varalli, Assisii, et Alverniae, ita ut denegata licentia, ad evitandum Fratrum evagationem, aut ob alia justa motiva, Ipsi novas faciunt instantias, interponendo etiam recomendationes, et Superiorem saepius in angustias reducendo. Idcirco Orator similia inconvenientia, quantum fieri potest impediri desiderans quaedam cum recompensatione qua, et ex una parte lucrarentur thesaurum Indulgentiarum Sacrarum, Visitationi memoratorum Sanctuariorum annexarum, et ne ex altera parte ne a propriis removeant Conventibus. Supplicat humiliter Summam S. V. Clementiam quatenus omnes utriusque sexus Religiosi suae obedientiae subjecti, lucrari possent praefatas Indulgentias mediante quadam devota peregrinatione per sua respectiva claustra, et successiva propriarum Ecclesiarum visitatione, videlicet.

Pro septem Ecclesiis Urbis, eundo per Claustrum septem vicibus, et visitando in fine Sanctissimum Sacramentum.

Pro Sanctuario Laureti eundo ter per Claustrum, et semel visitando Altare aut Imaginem Beatissimae Virginis.

Pro Sanctuario Montis Varalli eundo pariter ter per Claustrum, et visitando Altare, aut Imaginem Crucifixi.

Et Demum pro Sanctuario Assisii et Alverniae, eundo similiter ter per Claustrum et visitando Altare, aut Imaginem S. P. Francisci, orando semper in praedictis circuitibus aut

peregrinationibus et respective Sacris Visitationibus pro exaltatione S. Matris Ecclesiae, extirpatione Haeresum; conservatione Summi Pontificis, et pro Christianorum Principum Pace et Concordia. Quod Deus

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VI attentis expositis, praefati P. Ministri Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Cappuccinorum precibus annuendo, omnibus et singulis Religiosis Viris, atque Monialibus dicti Ordinis eidem Ministro Generali subiectis unumquodque ex antenuciatis piis exercitiis devote peragentibus, semel in anno eo respective die, quo praemissa Sacramentali Confessione, sumptaque SS. Eucharistia, et pias ad Deum preces, uti in supplici libello enuntiat, fundendo, hujusmodi peregerint, Plenariam omnium peccatorum Indulgentiam in forma Ecclesiae consueta, benigne concessit.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 25 Septembris 1779.

J. Caesar De Somalia S. C. I. Secret.

CCCLXXVII.

CONGREGATIONIS MONACHORUM CAMALDULENSIUM

Ad humillimas preces D. Petri Urseoli a Ponte Abbatis Procuratoris Generalis Monachorum Camaldulensium Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VI clementer indulsit, ut omnes et singulae Missae, quae juxta Constitutiones vel laudabilem consuetudinem ejusdem Ordinis, sive cujusque hujusmodi Monasterii etiam Monialium ipsius Ordinis Camaldulensium tam erectis, quam erigendis, pro Summis Pontificibus, Cardinalibus, Protectoribus, Episcopis, seu Ordinariis, ipsisque Monachis, et Monialibus, horumque tantum Genitoribus tam defunctis, quam coeteris hujusmodi in posterum ab hac vita decessuris, qui Deo in charitate conjuncti ab hac luce migraverint, celebrari debent vel solent, ad quodcumque Altare Ecclesiae tam Monachorum, quam Monialium praedictae Congregationis celebrabuntur, animae ejusmodi pro qua celebratae fuerint perinde suffragentur, ac si ad Altare Privilegiatum celebratae fuissent. Non obstanti-

bus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione suffragari. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 19 Februarii 1780.

J. C. De Somalia Secret.

CCCLXXVIII.

Suspensae fuerunt a sa. me. Benedicto XIV Reliquiae munitae sigillo, et subscriptae manu Praesulum Lasso de la Vega, Matranga, Molino, Urselli, et Praesulis Gritti, et si deinde cum Praesul Gritti constare fecisset de earum identitate, publicari idem posse permissum fuit.

Non habentur authenticae Reliquiae quarum subscriptio non manu, sed, vulgo *colla Stampiglia*, peracta est, eis tantummodo exceptis tali subscriptione firmatis a Praesule Merani Episcopo Porfiriensi Sacri Palatii Apostolici Sacrista ob suam subscribendi impotentiam.

Neque admittantur, neque uti authenticae agnoscantur Reliquiae Episcoporum in Partibus non Cardinalium quarum subscriptio est sub datum extra Portam Flaminiam, nisi ad hunc effectum specialiter a Sanctissimo fuerint deputati.

Pariter Excluduntur ab Authenticis Reliquiae subscriptis a Vicariis Generalibus.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VI confirmavit Regulam de qua supra etc. de reiiciendis authenticis Reliquiarum subscriptis a solis Vicariis generalibus etc. et quatenus opus esset de novo mandavit. Datum Romae die Audientiae Sanctissimi 23 Septembris 1780.

J. C. De Somalia Secret.

CCCLXXIX.

URBIS ET ORBIS

1.^m *An Ecclesiae Cathedrales, quae simul sunt Parochiales e Pontificiis decretis, jus habeant ad duplex Altare Privilegiatum? et quatenus Negative.*

2.^m *An consulendum Sanctissimo pro huiusmodi concessione?*

Sac. Congregatio diei 10 Septembris 1781 respondit « Ad utrumque Negative ».

CCCLXXX.

Beatissimo Padre

L' Abbate Giulio Cesare Cordara di Conio di Calamandrava umilmente rappresenta che per maggiormente eccitare la devozione verso il Principe degli Apostoli nell' animo degli Alessandrini suoi concittadini ha composta l'annessa traduzione in Italiano del nuovo Responsorio pubblicato per ordine della S. V. siccome l' Oratore è Governatore di una Confraternita a cui è ascritta quasi tutta la nobiltà di Alessandria, procurerà che per la festa della Cattedra Romana vada in Processione a fare la visita della Cattedrale che è dedicata a S. Pietro, sperando che tutte le altre Confraternite, che sono molte, imitino quest'esempio. Quindi avendo risoluto di stampare la sua traduzione a lato dell' Originale latino da cantarsi in quel giorno in Processione, implora dalla Santità Vostra la grazia che le stesse Indulgenze concesse a quelli che reciteranno il Responsorio latino, possano lucrarsi anche da chiunque lo reciterà in italiano.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VI benigne annuens pro gratia, omnibus utriusque sexus Christifidelibus supradictae Civitatis Alexandriae devote recitantibus Responsorium in honorem S. Petri Apostolorum Principis italico idiomate exaratum hic authentice adnexum, easdem Indulgentias a Sanctitate Sua pro eodem Responsorio latino idiomate concessas clementer impertitus est, servato quoad reliqua tenore primae concessionis.

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 19 Januarii 1782.

J. C. De Somalia Secret.